

sequi se oportebit<sup>58</sup>, ii etiam, qui non sortito provincias | (55) regant, intra annum.

(56) Ad Gallias sedet princeps<sup>59</sup>, qui in civitatibus splendidissimarum Galliarum veteri more et sacro ritu expectantur, ne ampliore pretio (57) lanistae praebeant, quam binis milibus<sup>60</sup>, cum maximi principes oratione sua praedixerint, fore ut damnatum ad gladium<sup>61</sup> | (58) procurator eorum nisi plure quam sex aureis et nisi iuraverit<sup>62</sup>.

(59) Sacerdotes quoque provinciarum, quibus nullu[m] cu[m] lanistis<sup>63</sup> nego[*itium*] eri[t], gladiatores a prioribus sacerdotibus sus[-] (60) ceptos vel sibimet auctoratos recipiunt, at post editi[o]ne[m] ex p[re]t[er]itio in succedentes tra[m]i[t]unt neque singulatim aliquem | (61) rei gladiatoriae causa vendat plure quam lanistis est pretium persolutum<sup>64</sup>.

(62) Is autem, qui aput tribunum plebei c. v. sponte ad dimicandum profitebitur<sup>65</sup>, cum habeat ex lege pretium duo milia, liberatus si disci[-] (63) men instauraverit, aestimatio eius post hac HS XII non excedat. Is quoque qui senior atque inabilior operam suam denuo | . . . .

*Prope Italicam Baeticae rep. a. 1888, tabula aenea, iam Matriti (II S. 6278 cf. p. 4056\* vidit Huebner; primum edita est eph. ep. 7 p. 583 seq. cum commentario Mommseni). Pertinet tabula ad sententiam dictam a senatore quodam, postquam oratio principum (cf. not. 12. 13) de moderandis sumptibus ludorum gladiatoriorum in senatu recitata est. M. Aurelium, — nam huius et filii, quem collegam sibi adsumperat, nomine orationem illam ad senatum missam esse apparet ex v. 6 (cf. not. 2), — ‘gladiatorii muneris sumptus modum fecisse’ narratur in vita eius 27, 6 cf. 11, 4. — 1) Apparet tertiam vel quartam partem lucri lanistarum fisco inferri debuisse; quod vectigal, nobis aliunde ignotum, Marcus et Commodus sustulerunt. — 2) Luci (sic legit Berlanga, recte sine dubio) Commodi rasura temptatum. Apparet Commodum illo tempore collegam patris in imperio fuisse; fuit autem collega patris ab a. 477 ad a. 480 (cf. supra N. 573. 593 not. 4). — 3) Fiscus cautiones exigere solebat a lanistis, vectigal recte solum iri. — 4) Scr. pura (Buecheler). — 5) Annuum. — 6) 2000000 vel 3000000 sest. quotannis fiscum amittere, vectigali harenae sublato, indicat orator. — 7) Fortasse scr. patrimonium (Buech.). — 8) Scr. paratis. — 9) Eorum quae nondum persoluta erant partem debitoribus condonaverunt imperatores. — 10) Intelleguntur lanistae, sine quibus munera plerumque edi non poterant. — 11) Fortasse scr. emergit (Hirschf.). — 12) De orationibus, ut dicebantur, sive litteris principum missis ad senatum (Tac. ann. 3, 56. 57. 16, 7) ibique per quaestorem principis recitari solitis (vit. Hadr. 3 cet.) cf. Mommsen Staatsr. II<sup>3</sup> p. 899. — 13) Apparet tempus quoddam intercessisse inter orationem imperatorum recitatam vel publici iuris factam, et sententiam hanc dictam. — 14) Intelleguntur sacerdotes Romae et Augusti a tribus Gallis creati, cf. Hirschfeld C. I. L. XIII p. 228. Apparet in Gallia potissimum tunc temporis sumptus munerum gladiatoriorum supra modum crevisse. Ceterum ad Gallias respicit orator etiam infra v. 36. — 15) Nimirum ludi gladiatorii, qui a sacerdotibus Galliarum quotannis edi debebant, propter sumptus tantum onus patrimonii constituerant, ut sacerdotium molestum fieret et non pauci, cum creati essent sacerdotes, id detrectarent et ad imperatores provocarent (cf. Mommsen eph. ep. 7 p. 405. 405). — 16) ‘Appellationes quae ad sacerdotia pertinent’ memorat papyrus iam Berolinensis Aeg. Urk. II n. 628 = Herm. 52, 635. — 17) Cf. not. 15. — 18) Haec minus apte posita ab oratore, cf. Mommsen*